



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Qvartæ Partis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



PARS QUARTA.
 MEDITATIONES QUAE-
 DAM DE B. VIRGINE ET
 DE COMMUNI SANCTORVM.

MEDITATIO I.
 DE CONCEPTIONE
 BEATÆ VIRGINIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. DOMINVS possedit me in initio *Prov. 8.*
viarum suarum, &c. ab aeterno ordi-
nata sum.

II. *Delicia meae esse cum filijs hominum.*

III. *Nunc ergo, filij, audite me: Beati, qui*
custodiunt vias meas, & vigilant ad
postes ostij mei. Qui me inuenerit; in-
ueniet vitam, & hauriet salutem à
 DOMINO.

FIGVRÆ.

I. DEVS in lege mandauit arcam testa- *Exod. 25*
 menti fabricari ex lignis incorru-
 ptibilibus, intusq; & foris tegi auro pu-
 rissimo.

2. Saloꝝ

3. Re. 10. 2. Salomon construxit thronum grandem, & regium, in quo sederet, ex ebore candidissimo, cum que vestiuit auro purissimo fuluo nimis: de quo throno testatur Scriptura in nullo mundi regno tale opus esse fabricatum.

 PROPHE TIAE.

Prou. 9. **S**APIENTIA edificauit sibi domum, excidit columnas septem.

Psal 45. 2. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

Psal 95. 3. Domum tuam deo et sanctitudo Domine.

Cant. 4. 4. Totapulchra es amica mea, & macula non est in te.

 DOCUMENTA.

Prou. 8. 1. **D**OMINVS possedit me in initio viarum suarum. Deus, quia noster creator est, simul legitimus Dominus & possessor noster est. Et tunc perfecte nos possidet, quando nos diuinis eius mandatis obsequimur, & in omnibus sanctam eius voluntatem praestamus. Vnde peccatores, qui praeccepta Dei non obseruant, sed voluntatem diaboli faciunt, & parent legibus mundi, potius ab ipso diabolo, quam a Deo possidentur. Itaque o homo peccator, si tanta commiseratione moueris, dum vides corpus hominis a maligno spiritu obsessum tam diro cruciatu exagitari, habeas quoque commiserationem, oro, animae tuae, que a tot demonibus possidetur, quot peccatis mortalibus illam inquinasti.

2. Bea-

MEDITATIONVM. 379

2. Beatissima Virgo, quia semper à Deo possessa est, semper pacem cum eius maiestate habuit, & contra, perpetuam inimicitiam cū damone. Hæc sunt signa, ex quibus homo potest cognoscere, siue anima sua à Deo possessa, an à damone? qui enim Domino alicui seruit, necesse est, vt illum beneuolum habeat, eiq; obsequatur vel formidine poenæ, vel virtutis amore. Quare quando quis sentit piuum affectum erga Deum creatorem suum, cum desiderio illi placendi atque in omnibus rebus voluntatem eius præstandi, cum delectatur cogitationibus, colloquiisque diuinis, seque libenter occupat in rebus, quas nouit Deo gratas, quando conatur perturbationes animi sui coercere, & tentationibus resistere, hæc manifesta signa sunt eius animam à Deo possideri & inhabitari. Contrà, quando quis magnam voluptatem capit ex rebus huius mundi, dignitatibus, delitijs & vanitatibus, quando sæpe de eiusmodi cogitat, loquitur, magnoque studio & sollicitudine illa sectatur & desiderat: sermones verò de rebus diuinis, ad salutem animæ spectantibus audit cum mœrore & amaritudine conscientie, hæc signa sunt & indicia clara, talem possideri & regi non à Deo, sed à principe huius sæculi, id est, damone.

3. *Ab aeterno ordinata sum, & electa à Domino.* Si Deus ante res omnes elegit & prædestinauit Matrem suam ad tantam gloria dignitatem, ornando eam ijs dotibus & priuilegijs, quibus nulla vquam creatura conuocata fuit; quid aliud inde colligimus, quam omnes homines debere eam post Deum supra omnes alios sanctos colore & honorare, suam-

suam-

suamque deuotionem erga illam peculiariter declarare, & inter reliquos sanctos in singularem aduocatam assumere, ac ad eam in omnibus tam corporalibus, quam spiritualibus necessitatibus confugere?

Eccl. 24 4. Scriptum est Dominum de hac sua sanctissima Matre dixisse. *In Israel hereditare, & in electis meis mittere radices.* Hoc vnum est certioribus electionis, & predestinationis diuinæ signis est, voluptatem aliquam ex dulcissimis hisce radicibus capere, hoc est, particularem erga beatissimam Virginem deuotionis affectum habere, eam studio, quoad fieri potest, colere & venerari, virgineatque eius virtutes, ac precipue humilitatem, puritatem, charitatem & obedientiam imitari; secundum illud dictum sapientiae in persona eius expressum. *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.*

Ibid.

5. Si Deus ab omni aeternitate sua elegit & preparauit matrem suam cum tantis dotibus & priuilegijs, & speciatim tam excellenti puritate, quanta nulli vnquam concessa est: concepta enim est sine vlla peccati macula; & si à condito mundo vsque ad eius conceptionem tot figuris & vaticinijs eam adumbravit, & praenunciavit, idque eo solum, quod receptura & corporaliter deportatura esset in utero virginum eius filium: quanta preparatione & puritate opus erit illis, qui sanctissimi Sacramenti beneficio in animis suis recepturi sunt illum ipsum Dei filium, qui descendit in uterum Virginis? Quam mundum conuenit esse os illud, in quod ingreditur Deus, quam purum cor & animam illam, in qua ipse Deus habitabit? Et si haec puritas omnibus est necessaria,

cessaria, quanto magis Sacerdotibus Domini, qui non solum Deum in se recipiunt, sed quotidie etiam manibus suis tractant, alijsque distribuunt. De his enim speciatim scriptum est, *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

Isai. 12.

6. Sicut Mater Dei fuit ab aeterno electa, & praedestinata cum omnibus dotibus, quas Dominus illi communicavit: sic etiam ab aeterno Deus constituit creare omnes homines, & simul praordinavit omnes gratias & beneficia, quae unusquisque deinceps a sua Maestate recepit, aut recepturus est. Unde colligimus, quam immensa sit bonitas & charitas Dei erga nos, & quam magna sit ingratitude nostra erga ipsum: nam ille inde ab omni aeternitate, quantumvis scelera & indignitatem nostram praevideret, cogitavit & decrevit nos omnibus beneficijs afficere, quae nos deinde recepimus, nos vero e contrario a vitae nostrae initio non aliud vel cogitamus vel agimus, quam quomodo Deum offendamus, & iniuria afficiamus.



MEDITATIO II.

DE NATIVITATE

BEATISS. VIRG. MARIAE.

PUNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Liber generationis IESU Christi, filij Matt. 2. David, filij Abraham, &c.*
- II. *Iacob genuit Ioseph virum MARIAE.*
- III. *De qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS.*

FIGV-

FIGURÆ.

- Gen. 2.* 1. **E**V A data primo Adamo in sociam, nata est tota pura & innocens, à Deo ex ipsius Adami costa formata.
- 4. Reg. 1.* 2. **A**NNA sterilis suis orationibus à Deo impetrauit filium, quem se oblaturam in templum ad ministrandum Domino promisit.

PROPHETIÆ.

- Cant. 6.* **Q**UÆ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?
- Nu. 14.* 2. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel.
- Esa. 11.* 3. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.

DOCUMENTA.

1. **S**ICVT stella, cui beatissima Virgo assimilata est, radios suos in utilitatem totius mundi emittit sine vlla lucis & perfectionis suæ iactura: sic nos ita vacare debemus iuuandis animabus aliorum & occupare nos in sanctis exercitijs charitatis erga proximum, vt non faciamus iacturam proprii spiritus & profectus: nam vt loquitur Dominus, parum prodest homini totum lucrari mundum, si anima suæ detrimentum patiatur.
2. Virgo beatissima comparata est auroræ, quæ lumine à Sole recepto dispellit noctis tenebras;

nebras: nam primo, dum solem iustitiæ conciperet, fuit ab eo maximis Spiritus sancti donis illustrata: postea autem ipsum solem fatro partu suo pro salute mundi foras edidit.

Quare qui volunt lucem tuam in publicum prodere, suumque spiritum proximis in animarum subsidium communicare, debent primum ipsi hunc solem concipere huncque diuinum spiritum: vt prius hac face illuminati possint & alios illuminare: alioquin conueniet in eos dictum illud Domini. *Sic cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueã cadunt.*

3. Ersi beatissima Virgo oriunda sit ex tam nobili & regia stirpe, nihilominus Dei filius non assumpsit carnem ex illa, quod à tam illustribus progenitori us descēderet: sed quia, vt ipsa testatur, respexit humilitatem ancillæ suæ; vt indicaret Spiritum sanctum aspernari superbos corde, humiles vero corde respicere, sicut scriptum est, *Deus superbis resistit, humilibus vero dat gratiam.* 1. Pet. 2.

4. B. Virgo, quæ ante mundum conditum in aternæ sapientiæ consilio electa fuit in Matrem Dei, licet ex stirpe regia oriunda fuerit, non ideò aut humanæ dignitatis laude celebrata fuit, aut opibus abundauit, & temporali prosperitate; sed in continua paupertate & submissione vixit, multasque in hoc mundo passa est persecutiones & aduersitates: vnde & nos discimus respuendos honores & voluptates huius mundi, & rerum terrenarum copiam fugiendam, Contra verò ad imitandam beatissimam Virginem, reprimendam & coercendam esse carnem nostram, & in anima ac corpore nostro continenter crucem Christi deportandam: nã si in hoc mundo con-

fixi

fixi fuerimus gladio Mariæ, in altero quoque vna cum illa æternæ felicitatis dulcedine plenè refocillabimur.

5. Christus Dominus noster in hac genealogia vocatur filius Dauid; quia sicut Dauid antequam ad regnum peruenisset, passus est varias easque grauissimas persecutiones, multosque labores & ærumnas sustinuit: ita Christus antequam intraret in gloriam suam, plurimum laborauit, grauissimasque afflictiones perpeffus est, vt intelligant, qui cohæredes Christi esse volunt, imprimis necessarium esse, vt existiment multas tribulationes sibi perferendas, & instar mulieris parturientis mœrores, doloresque perferendos, vt denique cum Christo ipso latari & regnare possint.

6. Christus Dominus noster voluit in genealogia sua multos viros malos & mulieres peccatrices, atque etiam nonnullos pauperes sigillatim Iosephum, & suam sanctissimam Matrem nominari. Hoc discrimen est inter spiritum huius mundi & spiritum Dei: quod homines mundani tantum gloriantur de honoribus, dignitatibus & opibus temporalibus: sed homines spirituales potius gloriantur in sua infirmitate, & ignominia, imò pudet eos in alia re gloriari, quam in cruce Christi, hoc est, in sui contemptu & ignobilitate.

7. Et si Christus Dominus noster eiusque Mater sanctissima, multos ex maioribus suis partim iustos & pios, partim sceleratos & infames habuerint, nihil tamen inde de ipsorum honore & gloria accessit vel decessit. Vnde colligimus non parentum vitia vel flagitia, sed proprias virtutes vel vitia cuique homini vel honorem, vel dedecus conciliare. Quare nec debent filij, aut nimium se extollere ob maiorum

MEDITATIONVM. 385

iorum suorum gloriam, nec etiam pudeſieri
ob eorum vilitatem vel infamiam, ſed ſua vi-
ta pia & ſancta boniſq; moribus debent com-
parare bonam famam & eſtimationem: ſi e-
nim ipſi fuerint virtute praditi, nec vilitate
maiorum ſuorum obſcurabuntur, nec praua
eorum vita vlllo modo inquinabuntur: ſicut
contra, ſi fuerint ſcandaloſi, nihil eis proderit
dignitas vel ſanctitas ſuorum antecellorum.



MEDITATIO III.
DE PRAESENTATIONE
BEATAE VIRG.

PUNCTA MEDITATIONIS.

- I. Soror noſtra paruula eſt.
- II. Facta ſum coram Domino, quaſi pa-
cem reperiens. Cant. 8.
- III. Vinea mea coram me eſt. Mille paci-
fici tui, & ducenti his, qui cuſtodiunt
fructus eius.

FIGURÆ.

I. **R**ex Aſſuerus, cum edicto publico Eſther. 2.
per omnia regna ſua mandaſſet o-
mnes puellas virgines, quaſ ſpecie & pul-
chritudine cæteris præſtarent, ad ſe ad-
duci; inter eas quoque oblata fuit humi-
lis Helther virgo Hebræa, cuius admi-
randa

R

randa

randa pulchritudo, honestique mores ita placuere Regi, ut eam elegerit in sponsam suam, & Reginam.

- 1. Reg. 1.* 2. ANNA mater Samuelis, cum in senectute sua hunc filium precibus a Deo obtinisset, eum ablactatum, ac trium annorum puerulum in templo obtulit, in ministerium Domini.

PROPHETIÆ.

Psal. 44 1. **A**VDI filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.

Ibid. 2. Adducentur Regi Virgines post eam, proxima eius afferentur tibi, afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.

Eccle. 24 3. In habitatione sancta coram ipso ministravi.

Psa. 66. 4. Circuiui & immolauit in tabernaculo eius.

DOCUMENTA.

1. **S**I Mater Dei, quæ antè fuit sancta quam nata, & in gratia ita confirmata, ut nec venialiter peccare potuerit, sacro templo inde à prima aetate inclusa fuit, sic prorsus, ut nunquam inde egrederetur, donec diuina voluntate esset Iosepho desponsata: non habent aliæ Virgines, quæ non sunt, ut beatissima Virgo, sanctificatæ, quod magnopere doleant se esse

esse inclusas, & ab omni hominum conspectu & consuetudine non necessaria remotas. Sic enim erunt securiores. Cōtrā vero si liberam vitam agere velint, maximis periculis & bona fama, & salutis animæ se obijcient.

2. Beatissima Virgo in templo presentata est, Sanctorum suorum parentum Ioachim & Annæ manibus, ad præstandum votum, quod Domino fecerant, à quibus, velut etiam à sancta illa Anna Samuelis Propheta matre, quæ similiter unicum filium Deo in templo obtulit, exemplum capere debent omnes Patres & matres, non solum vt perfecte præstent, quicquid de filijs Deo per votum promiserint: scriptum enim est, *Si quid voluisti Eccl. 3.*

Deo ne moreris reddere: displicet enim Deo infidelis & stulta promissio Sed vehementer quoque cauere debent, ne suos filios absterreant, vel impediunt, quò minus vota sua, quæ post annos discretionis ediderunt, exquantur.

3. B. Virgo adhuc puella existens templo inclusa est, ab omni mundi commercio separata. Vnde discimus multum ad instituendam piam vitam prodesse, si quis ab incunte ætate in timore Dei sanctisq; moribus, à munda- norū conuersatione abstractus fuerit & educatus. Nam, vt dicit sapiens Salomon, quam quisque vitam in adolescentia duxerit, ab ea ne in senectute quidem recedet.

4. Ab hoc sanctissimorum B. Virginis parentum exemplo debent patres & matres salutare documentum capere, vt maximum studium & eorum ponant in liberis rectè & piè educandis, inde à prima infantia, siue id fiat in propria ipsorū domo, siue in alio loco honesto, vbi nullā vilius mali, vel dissolutionis

occasionem habeant, sed potius bona exempla hauriant & dilcant, quatenus virtutes sectanda, & vitia fugienda sint. Hæc enim præcipua causa est, cur pleræque omnes mulieres tam sint leues & dissolutæ, quod a quo mollius & indulgentius in puellari ætate sint tractatæ.

5. Beatissima Virgo, licet esset genere nobilissima, tamen inter prima eius studia & exercitia, quibus ab incunabilis se dedit, fuerit, solitudo, oratio, sacrarum litterarum lectio, & manualia opera honestarum mulierum propria. Sicut de ea testatus est Salomon in persona: *Mulieris fortis tantopere in Scriptura celebratæ. Quæ sinit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum*, in confusionem multarum nobilium, illustriūque hominum nostri sæculi: qui dedecori sibi fore putant, si eorum liberi non instituantur in omnibus mundi vanitatibus. Itaque inter primas artes, quibus illos imbuunt, est ars tripudiandi, cantandi, instrumenta musica pulsandi &c. Quare quid mirum, si eorum filij, postquam inde a pueritia suxerunt lac mundi, efficiuntur, vt eos Dominus appellat, filij huius sæculi, prudentia carnali tumidi, sine spiritu, sine deuotione, & sine timore
Dei.

MEDI.



MEDITATIO IV.
DE DESPONSATIONE
VIRG. Mariæ CVM
IOSEPHO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Cum desponsata esset Ioseph Maria, Matt. 1.
inuenta est in utero habens de Spi-
ritu sancto.*
- II. *Cum Ioseph, vir iustus, vellet occultè
dimittere eam, apparuit ei Angelus
dicens: Noli timere accipere MA-
RIAM coniugem tuam, quod enim
in ea natum est, à Spiritu sancto est.*
- III. *Pariet filium, & vocabis nomen eius
IESVM, ipse enim saluum faciet po-
pulum suum à peccatis eorum.*

FIGVRÆ.

1. **P**ATRIARCHA Ioseph dum esset in *Gen. 39.*
Ægypto, vt seruaret fidem Domino
suo, qui totam domum suam ei commi-
serat, Dominae quoque suæ castitatem
omnino custodiuit.
2. Adhæc cum eius fidei commissa *Gen. 41.*
essent omnia Aegypti horrea, omne

frumentum fideliter ad sustentationem,
& salutem illius populi custodiuit.

PROPHETIÆ.

- Esa. 8.* 1. **A**ccessi ad prophetissam, & concepit, &
peperit filiū, & dixit Dominus ad me.
*Voca nomen eius, accelera spolia detrahere,
festina pradari.*
- Esa. 62.* 2. *Habitabit iuuenis cum virgine, & gau-
debit sponsus super sponsam.*

DOCUMENTA.

1. **Q**UAMVIS virginitatis propositum &
tatus, quem beatissima Virgo erat com-
plexa, tanta esset perfectionis & meriti,
tamen quando cognouit voluntatem Dei
esse, vt viro desponsaretur, totam se in eius
manus resignauit. Vnde discimus, quando ab
operibus etiam sanctissimis perfectissimisque
ab ijs, qui vices Dei gerunt, ad alia officia in-
feriora auocamur, promptè obsequendum esse;
& iudicandum nobis vtilius esse id, quod
nobis mandatur, antefereudo semper volun-
tatem superioris (quam cogitare debemus esse
ipsius Dei) voluntati nostræ.
2. Ex hoc casto & virgineo beatissimæ Vir-
ginis cum Iosepho coniugio discere possunt
omnes coniugati, matrimonium eorum, qui
desiderio maioris perfectionis ex mutuo con-
sensu perpetuam seruant virginitatem, vel
continentiam, non modo verum esse & legiti-
mum, sed etiam maximi meriti, & Deo Da-
mino nostro tanto puritatis amatori gratissi-
mum. Quod videtur quoque insinuassee Apo-
stolus

stolus, quando Christianis potius consuluit *3. Cor. 7*
 castitatem, quàm coniugium, & adiunxit, ut
 qui iam uxorem haberent, viuerent proinde
 ac si nō haberent, tempus enim, subiungit bre-
 ue est, & figura huius mundi praterit. Quare
 homines omnem curam ponere potius debent
 in consequendis bonis æternis, quàm in tem-
 poralibus & caducis, quæ citò finem habebunt.

5. Quoniam Dominus beatiss. Virginem ad
 tantam voluerat dignitatem, ut esset Mater
 ipsius Dei, euehere, non solum voluit esse vir-
 ginem, sed virginem admodum humilem,
 Qua de causa & in templo inter pauperes vir-
 gines educata est, & seruituti matrimonij sub-
 iecta est & marito vsa est admodum paupere
 & abiecto: ut nimirum homines intelligerēt,
 fundamentum perfectionis, & clauem qua
 custodiendæ conseruandæque sint virtutes o-
 mnes, esse humilitatem. Vnde quò homines
 maiores progressus faciunt in donis & gratiis
 à Domino communicatis, hoc humiliores &
 submissiores esse debent, quò autem altius
 ascenderunt, hoc fundamēto destituti, eo gra-
 uiori & periculosiori lapsu ruent.

4. Dominus non elegit Iosephum in matris
 suæ sponsum, quòd esset homo magnus & il-
 lustris secundum mundum, sed quia iustus
 erat & sanctus: vnde tantus honor ei accessit,
 ut è paupere & contempto fabro, tam famosus
 & honoratus sit factus in toto mundo, & tan-
 tope exaltatus in cælo. O si homines hanc
 Philosophiam caperent, illi, inquam, qui tan-
 to studio aucupantur gloriam & famam:
 nempe veros honores non acquiri accumula-
 tione opum, & dignitatum, sed iustitiæ Chri-
 stianæ exercitatione, & sanctitate vitæ: non
 dubium quin plus curæ studijque ponerent

in virtute quàm pecunia comparanda, in acquirenda pietate; quàm piscandis beneficijs & mundanis dignitatibus. Quocirca saepe talibus vsu venit, vt posthabito Deo animaëque salute, inhiantes per artes illicitas huiusmodi honoribus, tam in hac, quam altera vita sint infames & inglorij, conuenienter illis Prophetæ verbis. *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contempnunt me, erunt ignobiles.*

1. Reg. 2.

5. Etsi beatissima Virgo claritate sanguinis, & virtutum præstantia fuerit admodum celebris, vt verisimile sit eam multo nobiliori coniungi potuisse matrimonio, tamen maluit assumere Iosephum pauperem fabri, sed hominem magna virtute & sanctitate. Multo fecas hoc tempore, proli dolor, matrimonia inuentur à Christianis, nam in filiabus nupti tradendis, non iam ad virtutem & sanctitatem, sed ad opes, nobilitatem & dignitatem maritorum respicitur. Similiter viri in duccendis mulieribus, non ad virtutes & pietatem, sed ad magnitudinem dotis, ad pulchritudinem externam attendunt. Vnde videmus tot infelices coniugiorum exitus, tot conjugum lites, amaritudines, bella: vt in audibus eorum non audiamur alie voces quàm virorum maledicentium ijs, qui illis eiusmodi vxores procurarunt, & contra vxores omnia mala imprecantes parentibus, quod autores talium nuptiarum fuerint.

6. Dominus non solum voluit Matrem suam esse virginem, & in oculis suæ Maiestatis sanctam, sed etiam marito copulatam. idque, vt apud homines ab omni peccati suspicione esset immunis: nos videlicet informans satis non esse, si in operibus nostris per bonam intentionem

entionem satisfaciamus Deo, sed in super o-
peram dandam, ne cuiquam offendiculo fi-
mus. Monet siquidem Apost. vt bona facia-
mus, non solum coram Deo, sed etiam coram *Rom. 13*
hominibus.

MEDITATIONES TRES
sequentes, etiamsi existent in Medita-
tionibus vitæ Christi, tamen hoc lo-
co sunt repetitæ, sed copio-
siores & melio-
res.



MEDITATIO V.
DE ANNUNCIATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. Angelus Gabriel, missus à Deo in Na. *Luc. 1*
Zareth, salutauit Virginem, dicens:
Ave gratia plena; Dominus tecum.
- II. MARIÆ turbata & cogitanti,
qualis esset ista salutatio? ait: Ne ti-
meas Maria, inuenisti gratiam, &c.
Ecce concipies, &c.
- III. Querenti quomodo fiet? Respondit,
Spiritus sanctus superueniet in te, &c.
illaq; cōsentiente: Ecce ancilla Domi-
ni, fiat mihi, &c. discessit Angelus.

R S FIGV-

F I G V R Æ.

- Gen. 24* 1. **A** BRAHAM misit vnum è seruis suis in Mesopotamiam vt inde filio suo Isaac adduceret Rebeccam in sponsam.
- Iud. 13.* 2. Angelus Dei apparuit matri Sampsonis, & dixit: Ecce concipies & paries filium, is Nazareus erit, & incipiet liberare populum Israel.
- 1. Reg. 25* 3. Abigail, auditis legatis David, qui mandârat eam sibi adduci in vxorem, adorabunda in terra respondit: *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.*
- Esthe. 2.* 4. Esther virgo ex captiuitate Israeli- tici populi, ob pulchritudinem morum- que honestatem tantopere placuit Assue- ro Regi, vt eam ex omnibus puellis ele- gerit in sponsam suam & Reginam.
- Exod. 32* 5. Moyses, cum filij sui Israel splendo- rem vultus eius ferre non possent, in des- censu ex altissimo monte, in quo cum Deo erat conuersatus, velo obtexit faciē suam, vt agere cum eis posset.

P R O P H E T I Æ.

- Esai. 45* 1. **R** ORATE cœli desuper, & nubes plu- ant iustum, aperiatur terra & germi- net Saluatorem.
- Mich. 1.* 2. *Ecce Dominus egredietur de loco suo & descendet.*
3. *Deus*

MEDITATIONVM. 395

3. Deus ipse veniet, & saluabit vos. *Esa. 36.*
4. Descendet sicut pluuia in vellus, & sic ut stillicidia stillantia super terram. *Psal. 71*
5. Ecce virgo concipiet, & pariet filium. *Isai. 7.*
6. Creauit Dominus nouum super terram, foemina circundabit virum. *Iere. 31.*
7. Porta hac clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. *Eze. 44.*
8. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. *Eccl. 24*

DOCUMENTA.

1. **B**eatissima Virgo animaduertens se modo tam in olito, & tanto laudum praeconio salutari ab Angelo, turbata est, sequens colligens examinavit qualisnam esset ista salutatio. Vnde mulieres omnes discere possunt, si quando ab aliquo praeter morem laudentur, & verbis aequo humanioribus honorentur, ipsas quoque debere conturbari, & respectum habere laudatorem. Si enim fas fuit Virgini turbari ad verba Angeli, quanto iustius turbari debent aliae foeminae ad verba hominum: maxime hoc tempore, quo inter homines tanta regnat malitia & improbitas?
2. Si dignè volumus salutare gloriosam Virginem, ita vt salutatio nostra fit grata & accepta, operam dare debemus, vt comitem primo nobiscum habeamus puritatē cordis, quod faciemus, si desistamus a peccatis, & vitā nostrā emendemus: vnde & hic Angelus purissimum mundissimumq; speculū Virginem salutatur.

Secundò debemus eam salutare fideliter, hoc est, non ore tantum, sed etiam corde & opere, non tepidè, sed ardentè, dedicando totù cordis affectum, omnesque vires nostras in eius cultum & seruitiù, quod significatum est nomine Angeli Gabrielis, quod interpretatur, fortitudinem Dei. Tertio debemus eam salutare reuerenter & humiliter, sicut quoque ab Angelo fuit salutata nempe maxima submissione. Denique salutanda est nobis frequenter omni loco, & omni tempore, qui enim hunc morem habent, nò dubium, quin vicissim fructum suæ salutationis ab ea recipiant: nã cum illa sit humillima, non dedignatur resalutare suos salutatores: Ergo si sanctis votis & desiderijs, crebrisque & deuotis salutationibus ei obuiam procedamus, non negliget illa cum auxilijs opportunis, & donis coelestibus nobis occurrere, sicut de ea scriptum est, *Obuiabit illi, quasi mater honorificata.*

Eccl. 5.

3. Beatissima Virgo, non modo fuit humiliter mente, sed etiã sermone & opere, cordis quidem humilitatem demonstrauit, dum se tantis Angeli laudibus indignam reputans, non gauisa, sed turbata est. In sermone quoque humilem se ostendit, quando certior, facta se esse electam in Matrem Dei dixit: *Ecce ancilla Domini.* Opere etiam demonstrauit, quando post conceptù Dei filium, se contulit ad visitandam & iuuandã cognatam suã Elisabeth. Unde discimus verum humilem non esse, qui tribus illis modis non demonstrat humilitatẽ. Sunt enim qui magnã humilitatem declarant verbis, sed si quid ab alijs illis dicatur contra eorũ existimationẽ, mox offenduntur. Sunt & alij qui humiliter de se sentiunt, sed ab alijs tales

tales haberi nolunt, nec induci possunt, ut se vel corā aequalibus, vel inferioribus humiliēt. Alij verò sunt, qui facilè quidem exercent se in operibus humilibus & abiectis, sed in i se suam quarunt laudem & existimationem. Omnes hi carent huius virtutis merito: ij enim soli verè humiles sunt, qui beatissimæ Virginis exemplo cogitationibus, verbis & factis semper se humiles demonstrant.

4. Beata Virgo audiens tanta encomia, turbata est: hoc vnus ex certioribus signis hominis corde humilis est, si ad laudes suas turbetur, easque molestè ferat; & contra, si ob contumelias & irrisiones hominum lætetur & gaudeat. Qui vero lætitia gestiunt in laudibus suis, & multò magis, qui ipsi prædicant & ostentant res suas, eo quod in aliquo pretio habeantur: ac rursus ij, qui dum nulla, vel exigua eorum ratio habetur, aut pro meritis non honorantur, mox perturbantur & grauatè ferunt, omnes eiusmodi quantumuis honestam vitam; atque etiam religiosam ducant, potius viam superbiæ quam humilitatis ingressi sunt.

5. Beata Virgo, cum apparuit ei Angelus, domi erat, & cubiculo suo inclusa. Si digni esse velimus cælesti visitatione internisq; consolationibus, operam debemus adhibere, ut in nobis ipsis collecti simus, & à nimia hominum consuetudine abstracti. Nam verba quibus nos alloquitur Spiritus sanctus, sunt admodum delicata & suauia. Vnde nec audiri possunt ab hominibus occupatis & distractis, sed solum à quietis & solitarijs, secundum illud scripturæ. *Ducam eam ad solitudinem, & loquar ad cor eius.*

6. B. Virgo ad faustam salutationem Angeli

Cum tanta laude coniunctam turbata est, & se ipsa collegit. Vnde discimus affluente consolationum spiritualium copia, rebusque huius mundi prosperè euntibus nos potius debere timere, ob periculum grande nobis impendens. Contra verò irruentibus in nos afflictionibus, & calamitatibus potius latari, tum ob maiorem securitatem talis status, tum etiam ob magnitudinem meriti.

7. Virgo benedicta cum verbis angeli esset turbata, antequam responderet, seipsam collegit: quo exemplo docemur, dum sentimus nos aliqua perturbatione mentis, vel tentatione commoueri, potius tacendum, quam aliquid decernendum esse, deinde considerandum quid facto opus sit, ne quid dicamus vel faciamus, cuius nos postea pœniteat, conuenienter documento sapientis. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.*



MEDITATIO VI. DE VISITATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- Luc. 1.*
- I. *Abijt in montana cum festinatione, & salutauit Elizabeth.*
 - II. *Audita B. V. salutatione, infans exultauit in Vtero, & mater repleta Spiritu Sancto laudauit Beatam Virginem: Benedicta.*
 - III. *B. V. omnia Deo tribuit, Magnificat &c. manetq; ibi tres menses.*

FIGV-

FIGVRÆ.

Iudith cum capite Holofernis in Bethuliam reuertentem, totiusque populi gratulatione & applausu receptam sic allocutus est princeps Ozias. *Benedicta es filia à Domino Deo excelsò præ omnibus mulieribus super terram.* *Iudit. 13*

2. Contobrini Tobiaë, cum cognouissent prosperos eius post tot aduersa successus, cum gaudio eum visitarunt, & congratulati sunt de omnibus bonis à Deo illi præstitis. *Tob. 11.*

3. Anna mater Samuelis sterilis, filio à Domino donata, adorans Deum dixit: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.* *2. Reg. 2.*

PROPHETIÆ.

Anima mea exultabit in domino, & delectabitur super saluari suo. *Psal. 34.*

2. Dominus ab utero vocauit me.

Esai. 49

3. Antequam exires de vulua sanctifica ui te, & prophetam in gentibus dedi te. *Iere. 1.*

DOCUMENTA.

1. **B**EATISSIMA Virgo post conceptionem filij Dei subito exurrexit: ut nos instrueret, quoties bonum & salutare pro-

re propositum in corde conceperimus, ilico exurgendum esse, & deserendam prauam peccandi consuetudinem, omnemque somnolentiam, & ignauiam excutiendam sicut exhortatur nos Apostolus. *Surge, inquit, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

2. Virgo discessit è Galilæa, quæ significat volubilitatem, vt intelligeremus debere nos ab amore & affectione rerum fluxarum & terrenarum discedere, quæ ob suam instabilitatem comparantur volubili rotæ: eo quod in illis nulla pax vel quies inueniri queat.

3. Virgo abiit cum festinatione, vt instrueret nos, bonis operibus iungendum ardorem, omnique celeritate viam mandatorum diuinorum percurrendam, vt possimus dicere vna cum Propheta, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatastis cor meum* Sapiens

Eccl. 5. quoque consulit, dicens: *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

4. Virgo ascendit in montes, vt intelligeremus, quemadmodum sine difficultate mons non ascenditur, sic sine labore, & vi sibi illata non posse ad culmen virtutis perueniri. Atque etiam vt doceremur, si securi esse velimus de salute nostra, opera pretium esse, vt tendamus ad fastigium vitæ perfectæ, abstrahendo se à rebus terrenis, & inhiando cœlestibus secundum consilium ab Angelo datum Loth.

Gen. 19. *Ne stes in omni loco circa regionem, sed in monte saluum te fac*, Mundus enim tot laqueis & periculis plenus est, vt homo agrè se ex illis explicare possit.

5. Vir-

5. Virgo intrauit in domum Zachariae, & salutauit Elisabeth, ad informandos nos, eos qui hinc inde vagantur, nec vnquam se colligunt ab huius saeculi curis, diuina uisitatione salutationeque ipsius matris Dei esse indignos, conuenienter mandato à Domino Apostolis dato, ne quenquam salutarent in uia, si uero domum aliquam ingrederentur, precarentur eis pacem.

6. Beata Virgo, quamuis facta esset mater Dei, tamen non uerita est demittere se ad ineundam uisitationem, & ministerium praestandum Elisabethae: ut nimirum exemplum humilitatis omnibus praeberet, ac singulatim magna dignitatis hominibus, intelligerentque, quo quis in sublimiori statu uersatur, hoc rem laude & honore digniorem facere, quo se deicit magis, ad subueniendum subditis in eorum necessitatibus secundum illud sapientis. *Quanto maior es, humilia te in Eccl. 3. omnibus.*


7. Si Elisabeth Spiritu sancto plena, quod mater Dei domum suam intrasset, dicebat, *unde hoc mihi*, Nos, qui sumus peccatis pleni, quid dicere uel facere debemus, quando ipse Deus dignatur sacramentaliter in domum animae nostrae spirituales intrare? quanta reuerentia, qua gratiarum actione, quibus operibus excipere deberemus talem hospitem?

8. Beata Virgo ut audiuit se laudari, & beatam praedicari ab Elisabetha, dixit. *Magnificat anima mea Dominum*, ut doceremur, si quando ob donum aliquod à Domino concessum, uel opera bona laudemur, non debere nos aut oblectari illo laudum nostrarum pra-

conio

conio, aut vanè in eo gloriari, sed potius totum attribuere Deo, laudemque in eum transferre, à quo omnia dona in nos profluxerunt.

9. B. Virgo cum iret visitatum Elisabetham, cum festinatione iter confecit, & in domo cognatæ commorata est mensibus tribus; nempe ut mulieribus honestis exemplum daret, domi potius hærendi, quam in publicum prodeundi.



MEDITATIO VII.
DE PURIFICATIONE
B. VIRGINIS.

PUNCTA MEDITATIONIS.

- Luc. 2.* I. Impletis diebus Purificationis, sistitur puer Domino, oblato simul sacrificio secundum legem
- II. Simeon, habens promissionem videnti Messiam, accepit in vlnas, cantans NUNC DIMITTIS, matrique prædixit gladium. & quod puer positus sit in ruinam & resurr.
- III. Anna prophetissa, vacans ieiunijs & orationibus in templo, laudabat DEVM, & presentes solabatur.

FIGV.

FIGVRÆ.

Mandauit Deus in lege sibi offerri *Exo. 29.*
 quotidie duos agnos immaculatos, *Num. 28*
 vnum manè, alterum ad vesperam, ad
 præfigurandum duas oblationes à Chri-
 sto vero & immaculato agno Patri cæle-
 sti offerendas. Alteram initio vitæ, hoc
 die, in sua præsentatione; alteram in fine,
 in ara crucis pro generis humani redem-
 ptione.

2. Anna mater Samuelis antè sterilis, im- *1. Reg. 1.*
 petratum precibus à Deo filium obtulit
 in domo Domini dedicando illum mini-
 stero Domini, & simul vitulum in sacri-
 ficiu offerendo.

PROPHETIÆ.

Sacrificiu & oblationem noluisti, aures *Psal. 39.*
 autem perfecisti mihi.

Holocaustum & pro peccato non postulasti:
 tunc dixi, ecce venio.

2. Veniet desideratus cunctis gentibus, & *Agg. 2.*
 implebo domum istam gloria.

3. Statim veniet ad templum sanctum suu *Mala. 2.*
 dominator, quem vos queritis, & Angelus
 testamenti, quem vos vultis.

4. Suscepimus Deus misericordiam tuam, *Psa. 47.*
 in medio templi tui.

5. Notum fecit Dominus salutare suum, *Psal. 97*
 ante conspectum gentium reuelauit iustitiam
 suam.

DOCV-

DOCUMENTA.

1. **B** VIRGO subiiciendo se Purificationis legi, non solum de opinione puritatis & sanctitatis nihil detraxit, sed eam potius hoc humilitatis actu illustravit: exemplum omnibus religiosis & spiritalibus hominibus præbens, ut existiment consuetudine mortificandi & humiliandi se, nihil de eorum existimatione bona imminui, imò augeri potius, ipsasque virtutes his exercitijs conferuari.

2. B. Virgo & Iosephus puerum IESVM detulerunt in templum Hierosolymitanum; unde patres & matres capere possunt exemplum, suos filios Domino offerendi, & à primis annis pueritiæ ad Ecclesias deducendi, ut audiant verbum Dei, & diuinis officijs intersint, ut legant libros pios, & in doctrina Christiana virtutibus, bonisque moribus instruantur, secundum illud consilium Ecclesiastici.

Eccl. 7.

Si filij tibi sunt, erudi illos, & incurua eos à pueritia eorum. At heu multi filios suos potius diabolo, quam Deo à primis annis offerunt. dum eos nimis indulgenter, & in summis delitijs educant, plenos vitijs & peruersis moribus. Vnde in parentibus vere adimpletur, quod scriptum est. Immolauerunt filios & filias suas demonijs, & non Deo.

Psa. 103

3. Sicut in hac oblatione in templo facta, Deoque tam grata, intersuerunt tres personæ, nempe Ioseph, MARIA, & puer IESVS, sic, si oblationem nostram, quam facimus de nobis ipsis, velimus Deo gratam esse & acceptam,

ptam,

ptam, tria sunt nobis necessaria. Primò virilis constantia in bono proposito, & diuini cultus in operibus. Secundo virginea puritas in nostra conuersatione. Tertio simplicitas & puerilis humilitas in nostra conscientia iudicando bene de omnibus, & reputando nos inferiores & minores omnibus.

4. Christus Dominus noster non obtulit pro nobis in templo, nec animalia, nec fruges terra (sicut faciebant Iudæi) sed obtulit hostiam optimam & pretiosissimam, quam habuit, hoc est, seipsum Deum & hominem, sic nos Deo non debemus offerre, aut deteriora, aut res exigui preterij, sed meliora & pretiosiora, non debemus seruire Deo tantum verbis, & carimonijs externis, corde rebus terrenis affixo, sed totum debemus dedicare diuino seruitio, animam, corpus, vitam, cor, denique omnia nostra. Multo enim nobis utilius est, si nos ipsos donemus Deo, à quo omne bonum nostrum, omniq; salus proficiscitur, quam vt demus nos mundo, & voluntati nostræ, quæ sunt causa ruina & perditionis nostræ.

5. B. Virgo oblationi Christi filij sui in templo factæ adiunxit oblationem turturum, vel columbarum. Turtur est auis casta & solitaria: columba vero est pacifica & sine felle & viuit in societate aliarum; vt intelligant speciatim sacerdotes, qui quotidie in sacris templis Christum offerunt, & cum ijs omnes alij qui communicando, spiritualiter eundem Christum aeterno Patri pro expiandis suis peccatis offerunt, si velint oblationem suam à Deo acceptari in salutem, & non in condemnationem animarum suarum, eos debere familiares, & comites habere duas virtutes, & primo qui-

catio-
purita-
deam
exem-
us ho-
etudi-
de co-
eugeri
s con-

M de-
anum;
exem-
à pri-
di, vt
inter-
Christi
man-
astici.
ua eos
s suos
annis
& in
& per-
ere ad-
olau-
ly non

facta,
perfo-
S V S,
nus de
& acce-
ptam,

mo quidem mentis & corporis castitatem, abstinendo à conuersatione hominum periculosa. Deinde pacem & vnionem caritatis cum proximis.

6. Simeon, vt habet Euangelium, in spiritu ingressus est templum. Vnde discimus, non debere quemquam vel coactum, vel ex consuetudine; vel quæstus, commodine temporalis causa se mancipare diuino seruitio, sed ex mera deuotione & intimo desiderio feruendi Deo, Tales enim vna cum Simeone facile inueniunt Mariam & I E S V M, hoc est, spiritualem consolationem & æternam salutem.

7. Si Simeon tanta spirituali lætitia, deuotione & reuerentia puerum I E S V M recepit in brachijs, quanto maiori deuotione, reuerentia, & spiritus feruore, cum eundem Dominum & Saluatorem recipimus in sacra Eucharistia, id præstare deberemus? Quandoquidem non iam brachijs sed ore ipso eum excipimus, nec sustinemus manibus, sed in corporis viscera, animamque nostram eum dimittimus.


8. Simeon accepit Christum in vlnas suas. Vnde docemur, per opera bona peruenire ad salutem: neque enim sola fides sufficit ei, cui suppetit tempus & modus opera bona exercendi, non satis est capere Christum mente, & intelligentia, sed opus est, quoque eum apprehendere manibus, quibus opera designantur.

9. Christus in præsentatione sua voluit institui oblationem more pauperum, hoc est offerri par columbarum. Semper in actionibus suis Dominus se dimisit, humiliavit, volens haberi minor & vilior, quam erat, ad pudefacien-

faciendam proculdubio superbiam nostram: nos enim semper volumus extolli, & maiores haberi, quam reuera simus.

10. Simeon & Anna quia frequentabant templum, meruerunt conspectu Saluatoris consolari. Res sancta est frequentare Ecclesias, in ijs enim sua dona & charismata Deus impertiri solet, & non in plateis, & viis publicis: in quibus homines vagantur, & peccandi potius, quam benè agendi occasiones accipiunt.

11. Anna Prophetissa erat in templo, seruiens Deo in castitate, continuis orationibus & crebris ieiunijs, vnde & promeruit filium Dei videre & agnoscere. Non patefacit arcana sua & mysteria, nec coelestes consolationes communicat Deus hominibus mundanis & carnalibus, sed iis qui virtute sua prauas carnis inclinationes vincunt, & continuum cum amore proprio bellum gerunt, sicut Propheta significat illis verbis, *Quem docebit scientiam? & intelligere faciet auditum: ablatos à lacte, auulsos ab uberibus, hoc est, illos, qui se totos subtrahunt ab omnibus mundi delitijs & illecebris, carnem mortificant, & in sanctis diuini cultus exercitijs se se occupant.* Isa. 28.



MEDI



MEDITATIO VIII.
DE CONVERSATIONE
B. VIRG. POST FILII
ASCENSIONEM.

PUNCTA MEDITATIONIS.

- Act. 1.* I. Post visam ascensionem reuersi sunt
Apostoli in Hierusalem cum Maria,
&c. & alijs mulieribus.
II. Hi omnes erant perseuerantes vna-
nimiter.
III. In oratione.

FIGURÆ.

- Luc. 2.* I. ANNA Phanuelis cum vidua per-
mansisset, inquit Scriptura, reli-
quum vitæ tempus transegit in templo
continuis orationibus & ieiunijs serui-
cns Deo.
2. Sancta vidua Iudith, ait scriptura, post
mariti mortem, se in vnam domus par-
tem cum ancillis suis inclusit: in qua cili-
cio induta, in continuis ieiunijs & ora-
tionibus vitam agebat, & ob virtutem in
magna apud vniuersum populum veneratione erat.

PRO-

PROPHETIÆ.

1. **H**E-I mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Psa. 119.
2. Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo, me expectant iusti donec retribuas mihi. Psa. 42.
3. Latatum est cor meum, exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Psa. 15.

DOCUMENTA.

1. **B**eatissima Virgo post Christi filij sui ascensionem, totam se orationi, frequentationi templi Dei, alijsq; pijs & sanctis exercitijs dedit, præbens ea re perfectum exemplum, non solum omnibus virginibus, quæ desiderant corpore & spiritu se diuino cultui consecrare, sed etiam omnibus Euangelicis viduis, quodnam sit proprium earum officium, & quomodo in hac vita conuersari debeant, hoc est, mundi tumultus, eiusque vanitates defugere, non secus, quam si in omnibus rebus mundanis essent mortuæ, adhærere soli Deo, noctu diuque attendere orationi, meditationi, & piorum sanctorumque librorum lectioni, sacra templa visere, amare lachrymas, cum Angelis potius quam cum hominibus conuersari, continuisque suspirijs & desiderijs ad coelestia aspirare.
2. Mors beatissimæ Virginis nullum metum vel marorem, sed potius consolationem attulit summam; velut suauissimus & iucundissimus

Emus somnus : illa enim per omnem vitam
 eam exoptauit , quasi ianuam ad bona aeterna
 & caelestia. Hac autem primaria causa est , cur
 homines tantoperè reformident & fugiant
 mortem , quoniam videlicet , omnem spem
 suam collocarunt in bonis caducis & terrenis,
 quibus per mortem spoliantur. Si igitur
 mortem timere nolimus, imitemur hanc nostram
 beatam matrem in sancta & pia vita,
 eiusdemque desiderijs non terrenis sed caelestibus.

3. Christus Dominus noster non modo sanctissimam matrem suam, sed innocentissimum quoque corpus suum voluit legi mortis subiectum, vt nobis in morte nostra aliquod esset solatium eiusque & matris exemplo magis corroboraremur, ac praeterea vt eodem exemplo possemus non solum consolari nos ipsos, sed alios quoque in illa extrema & difficili mortis agonia. Nam si illi , qui erant ligna viridia , hoc est , ab omni peccato immunes, voluerunt degustare mortem , quanto magis nos ligna arida , qui onerati sumus peccatis, patienter tolerare debemus hanc poenam, eandemque ingredi portam , quam ante nos Christus eiusque mater ingredi non dubitarunt: cum suo ingressu tam facilem & iucundam eam reddiderint, vt optari potius, quam reformidari debeat?

4. Quemadmodum omnes gratiae & privilegia B. Virgini propter nos fuere concessa, occasione enim lapsus nostri electa fuit in matrem Saluatoris , ac proinde merito obligatur esse aduocata Ecclesiae omniumque fidelium, vt salutem consequantur ; sic etiam per singularia beneficia, quae illi contigerunt in morte, tenetur facere specialem aduocatam & pro-

& protectricem in morte nostra. Quare si optamus in extremo illo & tremendo momento ab ea iuari & defendi, innocens Mariam, deuotique simus Mariæ; nullus enim vnquam ei deuotus fuit, qui illa hora fuerit ab ea desertus, sed potius magna consolatione affectus.

5. Virgo sanctissima Dei mater, qui perspetum habebat consilium à Domino aliquando datum, de tenendo vltimo loco in hominum conuentibus: voluit ab omnibus haberi & tractari, tanquam omnium vltima & infima. Qua humilitate obtinuit, vt postea in caelo exaltata fuerit supra omnes in contusionem nostram, qui mereremur ob peccata nostra existere sub terra, & tamen semper volumus inftar olei eminere super alios, nec patimur quemquam nobis anteferri; & si videatur nobis quod exigua nostri ratio habeatur, vel non satis magno honore afficiamur, moleste ferimus & turbamur: vnde eueniet, vt postea in altera vita, quemadmodum ipse Dominus testatus est, ignominiose eiciamur, & nouissimum locum, omnium pedibus subiecti teneamus.

6. Beatissima Virgo, vt à Domino petijt, ita etiam pro sua consolatione obtinuit, vt Apostoli omnes presentes filii sub extremam vitam horam adessent, præbens ea re nobis exemplum, multo magis nos, qui sumus peccatores, magisque auxilio indigemus, debere desiderare & procurare, vt in obitu nostro aliquos homines spirituales presentes habeamus, qui nobis adiumento sint, & in tanto discrimine solatium aliquod subministrant.

* * *
S 2

MEDI-



MEDITATIO IX.
DE GLORIOSA ASSUMPTIONE B. VIRG.

PUNCTA MEDITATIONIS.

- Apoc. 2.* I. Signum apparuit in cælo.
II. Mulier amicta sole & luna sub pedibus eius.
III. Et in capite eius corona stellarum 12.

FIGURÆ.

- 2. Reg. 6.* **R**EX David post debellatos omnes inimicos, videns iam regnum suum esse in pace & quiete, inquit Scriptura, recordatus est arcæ testamenti, quæ erat in domo Obededon: cumque eam vellet in suum transferre palatium, ut ibi in maiori honore & auctoritate esset, instituit eam in rem festum admodum solenne, vario concentu musicorum instrumentorum celebrandum, ipseque Rex cum toto populo abiit ad eam inde amouendam, & cum magna lætitia & gratulatione in suum palatium adducendam.
- 3. Reg. 8.* 2. Cùm regis Salomonis mater se ad visitandum filium suum contulisset, asserit scriptura, fuisse matri Regis præparatum thronum regium, eamque ad eius dextrâ confedisse.

3. De

MEDITATIONVM. 413

3. De Hesther virgine Hebræa commemo- *Esth. 2.*
rat Scriptura, eam à magno Rege Af-
suero amatam supra omnes alias mulie-
res. Vnde tantam gratiam apud Regem
obtinuit, vt eam in sponsam suam elegerit,
& capiti eius coronam regiam imposuerit,
regniq; eius participem effecerit.

PROPHETIÆ.

1. *S*urge Domine in requiem tuam, tu & *Psal. 86.*
Sarca sanctificationis tua.
2. Surge, prope amica mea, columba mea, *Cant. 2.*
formosa mea & veni. Iam enim hyems transiit,
imber abiit & recessit.
3. Veni de libano sponsa mea, coronaberis. *Cant. 4.*
4. Tenuisti manum dextram meam, & in *Psal. 72.*
voluntate tua deduxisti me, & cum gloria
suscepisti me.
5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, de *Cant. 8.*
litrys affluens, innixa super dilectum
suum?
6. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu *Psal. 44.*
deaurato, circumdata varietate.

DOCUMENTA.

BEATISSIMA Virgo corpore & anima in
caelum assumpta est, vt ibi pro nobis offi-
cio fungeretur mediatrix & aduocata
apud Dominum, tam in corporalibus, quam
spiritualibus necessitatibus. Itaque si velimus
ab ea exaudiri & iuuari, ac tandem aliquando

cum ea regnare & triumphare in celo, studeamus eam imitari, & semitam illam quam illa percurrit, persequamur. Nam imprimis Virgo vt ad caelestem domum attingeret, tenuit viam puritatis: sic nos insistendo eius vestigiis operam dare debemus, vt puritatem mentis & corporis tueamur, siquidem scriptum est;

Apo. 21

Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.

Secundo tenuit B. Virgo viam humilitatis, sic nos ad eam imitandam semper debemus hanc virtutem habere in corde, verbis & operibus: submissè de nobis sentiendo, & cum omnibus colloquia humilia & mansueta instituendo, nec refugiendo humilitatis CHRISTIANÆ opera, si quando aut proximi charitas, aut matris Dei gloria

Mat. 18.

postulat. Nisi enim efficiamur sicut paruuli, inquit Dominus, non intrabimus in regnū

caelorum. Tertio tenuit B. Virgo viam paupertatis nihil habens proprium in hoc mundo: sic nos si volumus esse participes opū caelestium, necesse est, vt cor nostrum ab his bonis terrenis & caducis auellamus, cum dixerit Dominus, facilius esse camelo transire per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum caelorum.

Mat. 16

Quarto tenuit B. Virgo viam charitatis tam erga Deum, quam erga proximum: sic & nos amorē Dei de' emus omnibus aliis rebus, etiam vitæ nostræ antepone, parati potius mori quam diuinita a'iquod præceptum præuaricari: debemus item dilatare charitatem in proximum, compatiendi illi, & in necessitatibus tam corporalibus, quam spiritualibus illi subueniendo: charitas enim est Symbolum, teste Domino, quo dignoscuntur veri Christiani, & discipuli

cipuli CHRISTI. Quinto beatissima Virgo quoque ambulauit per viam patientiæ in tribulationibus & persecutionibus : per quas necesse est & nos ambulare, si saluari velimus. Nam, vt dicit Apostolus: *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Denique sicut sanctissima virgo vsque ad finem vitæ in his sanctis & pijs actionibus, quibus tantam coronam promeruit in cælo, perseuerauit; sic satis nobis non est, bonam viam ingredi, sed opus est, vt cælestis coronæ præmium assequamur, vt in vita pia & sancta vsq; ad finem persistamus, cum dixerit Dominus. *Qui perseverauerit vsque ad finem, hic saluus erit.*

2. Tim. 2

Mat. 10.

2. Quoniam fides & certitudo diuinorum mysteriorum Resurrectionis & Ascensionis in calum Christi Domini nostri plurimum proderat ad salutem nostram. *Si enim Christus, inquit Apostolus, non resurrexit vana est fides nostra,* idcirco Dominus voluit illa tot apparitionibus, tamque varijs argumentis horum veritatem manifestari. Sed mater eius sanctissima, quia resurrectionis eius & assumptionis in calum fides non faciebat ad salutem nostram, sed tantum ce-
debat ad maiorem eius honorem & gloriam, ideo noluit eam manifestare; sed potius id temporis occultare, totam eius rei curam relinquens Deo, qui suis temporibus cum summo matris suæ honore illud Ecclesiæ inspirauit. Vnde discere possumus, quæ in nostrum honorem reducant ex parte nostra melius tacere & occultari; DEVS enim, quando ad maiorem
gloriam

1. Cor. 15

gloriam eius, & proximorum vtilitatem erit, rem euulgabit, si autem redundant in salutem aliorum, non modo possunt, sed etiam debent manifestari, exemplo Apostoli, qui ad Corinthios in fide confirmandos, sublimem illam reuelationem sui raptus in tertium cœlum patefecit.

3. Mater Dei sanctissima, quia cor suum remotissimum habebat à terra, & in Deo solo, quem ardentissime amabat, defixum, idcirco in cœlis super omnes angelorum choros exaltata est. Hic modus est quem Deus in electis suis remunerandis, & reprobis castigandis tenet: vt quo amplius homo affectum suum ab amore rerum terrenarum auellit, & in amorem rerum cœlestium commutat, hoc sublimiorem in cælo sedem consequatur. Cōtrā, quo affectu & mente magis immerfus fuerit terræ, voluptatibusque & delitijs huius mundi, ac carnis firmiter ad hæserit, hoc sedem profundiorē obtinebit sub terra. Itaque si certe cognoscere volumus, quæ fors nobis obuentura sit, sublimis an humilis, felixne an infelix, diligenter affectus & desideria cordis nostri indagemus, sintne cœlestia, an carnalia & terrena, atque hinc æstimare poterimus, quid Deus nobiscum sit acturus.



MEDITATIO X.
DE NATIVITATE
S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Luc. 1.

PVNCTA MEDITATIONIS.
*L. Elizabeth filium peperit, cum multorū
gaudio;*

MEDITATIONVM. 417

gaudio; eumque die octauo circumci-
dēs curauit iohānem vocari, patre pro-
phet ante.

II. Parenti muto, reddita est loquela,
vt Deum benediceret, proferens Can-
ticum: Benedictus &c.

III. Factus est timor super omnia mon-
tana &c. & mirabantur dicentes:
Quis, putas, puer iste erit?

FIGURAE.

ELisæus propheta resuscitaturus filium
mulieris Sunamiridis pramissit seruū 4. Reg. 4.
suum Giezi, mandans ei, vt accingeret
lumbos suos, baculumque suum poneret
super faciem mortui pueri, quem secutus
est Propheta, eumque à morte excitauit.

PROPHETIÆ.

1. Ecce ego mitto angelum meum, & pra-
parabit viam ante faciem meam. Mal. 3.
2. Parauit lucernam Christo meo. Psal. 131.
3. Dominus ab utero vocauit me, de ven-
tre matris meae recordatus est nominis mei. Esai. 49.
4. Tu puer Propheta altissimi vocaberis, Luc. 1.
praibis enim ante faciem Domini parare vias
eius.

DOCUMENTA.

I. **D**IXIT Angelus Ioannem magnum futurum coram Domino. Vnde dicimus, veram magnitudinem non consistere in amplo dominio, in opibus, rerumque multarum scientia, sed in virtutibus, & in vitæ sanctitate, quemadmodum liquebit in altera vita, quando cuique dabitur præmium secundum merita, tunc enim iusti & amici Dei, qui in mundo habitati sunt pauperes, contempti & abiecti, exaltabuntur, & inter primos cæli Senatores collocabuntur. Qui verò in mundo habitati sunt in oculis hominum magni, stabunt sub eorum pedibus, nisi deteriorem aliquem locum consequantur.

a. Cognati Ioannis urgebant ne isto, sed Patris potius nomine, vel alicuius alterius ex familia appellaretur. Verum Zacharias & Elisabeth perstiterunt in sua sententia, nec permiserunt aliud nomen ei imponi, quam ab Angelo erat parafactum. Quare exemplum datum est parentibus, ne putent honorificum esse imponere filiis maiorum suorum nomina, qui sæpè fuere profani, & gentiles potius quàm Christiani, sed nomina sanctorum & religiosorum, tum quia illa fuerunt hominum Deo gratorum, cum quorū etiam nunc regnant in cælo, tum quia sæpè numero pueri ad sui nominis Sanctum afficiuntur, eiusque virtutes libentius imitantur, & recipiunt in aduocatum.

3. IOANNI impositum est nomen, cum circumcideretur, vt intelligamus nullius nomen in librum vitæ referendum nisi prius

cor suum, animique sensus ab omnibus cupiditatibus carnalibus circunciderit, nisi omnibus desiderijs & voluptatibus illicitis mundi & carnis renunciarit: neque enim in vno eodemque corde diuersari possunt Deus simul & mundus, delitiæ diuinæ, & illecebræ carnales. Vnde si homo elegerit vnum, necesse est, vt repudiat alterum.

4. Hoc nomen, IOANNES, interpretatur gratia Dei. Itaque si velimus nobis constare simulne in gratia Dei, quemque gradum gratiæ apud diuinam eius maiestatem obtinuerimus, diligenter excutiamus vitam nostram, eamque cum vita Ioannis comparemus, cum puritate nimirum illius, humilitate, pœnitentia, sobrietate, feruore, & zelo animas iuandæ, & secundum progressum, quem in his virtutibus nos fecisse animaduertemus conuenientem vitæ Ioannis, poterimus quoque conicere, ad quem gratiæ gradum peruenerimus.

5. Etiam si mater Dei intrasset domum Zachariæ patris Ioannis, ibique remansisset mensibus tribus, sua Christi que præsentia domui illi tantas afferens gratias & benedictiones: non tamen ideo vox illi fuit restituta, sed mutus permansit vsque ad filij circumcisionem. Vnde discimus primo, pœnas temporales huius sæculi sæpe vtilius relinqui hominibus, quam tolli, nempe ob maiorem eorum humilitatem & meritum. Secundo, Dominum solitum relinquere eiusmodi pœnas & flagella pro peccatorum nostrorum satisfactione: nam etiam quando peccatores diuinæ restituuntur gratiæ, tollatur culpa, & consequenter pœna æterna: nihilominus remanet obligatio ali-

quius poenae temporalis, quae similibus flagellis expiatur, & tollitur.

6. Zacharias post linguam diuino beneficio solutam mox primo quoque verbo erupit in laudes & benedictiones Dei, informans nos, vt simulatque cognouerimus, nos aliqua gratia spiritali, vel temporali à Domino donatos, ante omnia non ore tantum, sed etiam operibus reddamus gratias, suaeque diuinae maiestati nos gratos exhibeamus, tum quia Deus ipse in se omni laude & benedictione dignus est, tum vt gratiam acceptam conseruemus, vel etiam augeamus.

7. Ioannes à puero recepit se in desertum ad agenda poenitentiam, vt intelligamus bonum esse portare iugum Domini à prima adolescentia, bonorumque operum studio se assuefacere, dum natura adhuc tenera est, nam velut arbor iam matura & indurata potius frangitur, quam flectitur: sic homo, si ab ineunte aetate non se inflectit & inclinatur ad bonum, cum ad maturitatem peruenerit, etiamsi maxime velit, non poterit tamen, nisi cum summa difficultate, prauam consuetudinem vincere, & ad bonum se inflectere, nisi Deus potenti manu sua ei succurrat.

8. Ioanni satis non fuit in solitudine degere, sed in ea quoque sanctissimam vitam virtutibusque plenam traduxit. Vnde colligere possumus, religiosos non debere gloriari, aut securos esse, hoc solo nomine, quod versentur in religione, aut multos annos in ea consumpserint, nisi etiam sanctè & religiosè vixerint: imo nihil eis proderit, sed potius vehementer oberit, si
solo

solo nomine religiosorum contenti sint, & vitam nomini non conforment, ut enim ingredi religionem est summa perfectio, ita non viuere in ea religiose, summa est damnatio.

9. Ioannes ut secure propriae perfectioni consequendae operam daret, & animam suam immunem a peccato seruaret, hominum conuersationem, & mundi tumultum fugit, docens nimirum exemplo suo, difficulter in mundo custodiri vitae innocentiam, & sanctitatem acquiri; nam ut dicit quidam Sanctus, sicut impossibile est arborem in via publica posse conseruare suos fructus usque ad maturitatem: sic quasi impossibile est, ut homo remanens in mundo, immunis maneat a peccatis. Et sicut in eodem periculo sunt illae arbores, quae licet plantatae in horto concluso, foras tamen suos ramos porrigunt, sic ut praetereunt, licet arborem attingere non possint, possint tamen deiicere fructus: sic religiosi, qui existentes in caenobijs implicant se negotijs secularibus, in magno periculo sunt, ne a diabolo bonorum operum fructibus spolientur.

10. Dixit Christus Ioannem esse lucernam ardentem & lucentem. seruo Dei & Christiano satis non est esse lucernam tantum, hoc est, ut habeat tantum fidem & nomen Christiani sine charitatis ardore, & bonorum operum luce: nec satis est hanc lucernam tantum in speciem splendere operibus bonis & pijs, sed necesse est, ut in se quoque habeat ardorem charitatis. Nam esse tantum lucernam est summa damnatio, solum splendere alijs magna est vanitas, ardere solum sibi exigui est pretij, sed ardere simul & lucere summa perfectio est.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

DISCURSUS I. DE COMMUNI APO- STOLORUM.

PUNCTA MEDITATIONIS.

- Matt. 9.* I. **I**ESVS vocatis Discipulis, elegit
Marc. 3. Apostolos, ut eos secum haberet, &
Luc. 9. ad predicandum mitteret.
- II. Videns turbas sicut oves sine pastore,
coepit mittere binos ante faciem suā,
in omnem locum, quò erat venturus;
dans eis potestatem in demones, &
praecepta de caritate, paupertate,
& prudentia.
- Ioan. 17.* III. Adijciens non vos me elegistis; sed
ego elegi vos, ut eatis, & fructum asse-
ratis, & fructus vester maneat.
-

F I G U R A E.

- Gen. 31.* I. **I**ACOB Patriarcha habuit filios duo-
Exod. 1. decim Patriarchas, à quibus descen-
dit & originem traxit totus populus
Dei.
- Exod. 18.* 2. Moyses elegit duodecim Principes
Num. 12. in duces totius populi Israel, dum in iti-
nere essent in terram promissionis: atque
hi

MEDITATIONVM. 423

hi Principes quoque erant illi, qui cum suis tentorijs stabant circum tabernaculum & arcam Domini.

3. Moyses misit duodecim exploratores ad considerandam terram promissionis, quam erat occupaturus. Num. 13

4. Salomon constituit duodecim praefectos populi Israel, quorum officium erat, domui regiae procurare cibum. 3. Reg. 4

PROPHETIÆ.

1. PRO patribus tuis nati sunt tibi filij. Psal. 44
constitues eos Principes super omnem terram.

2. In omnem terram exiit sonus eorum, Psal. 18
& in fines orbis terra verba eorum.

3. Constitui super vos speculatores, audite Iere. 16
vocem tubæ.

4. Super muros tuos Hierusalem constitui Isai. 62
custodes toto die & tota nocte, in perpetuum non tacebunt.

5. Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & pradicantis pacem, annunciantis bona pradicantis salutem, dicentis, Sion regnabit Deus tuus! Isai. 12
Num. 1.
Rom. 10

6. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columba ad fenestras suas? Isai. 60

7. Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Graciam, ad insulas longè, & annuntiabunt gloriam meam gentibus. Ibid.

DO.

DOCUMENTA.

1. **S**CRIP TV M est, à Domino primò electos Apostolos, deinde verò septuaginta duos discipulos, quos misit ad prædicandum, & opem ferendam omni populo. Neque legimus quemquam illorum ante vocationem se ad obeundum hoc munus obtulisse: imò quendam se ultro offerentem & dicentem, *Sequitur te, quocunque ieris*, repudiauit. Vnde discimus, neminem, quantumuis idoneum se reputet, debere se offerre, vel ingerere ad functionem docendi vel gubernandi alios: sed debere potius expectare, donec ab ijs, qui vices Christi gerunt, vocetur & eligatur; ne, dum falso pietatis zelo querit lucrificare animas aliorum, perdat suam.
2. Dominus vocauit Apostolos in medio suarum occupationum, alios dum piscarentur, alios dum negotijs temporalibus vacarent, ea re indicans, suum seruitium omnibus huius vitæ occupationibus merito præferendum. Quare magnam timendi causam habent, qui dum sentiunt se à Christo vocari, eum ob commodum aliquod, vel respectum humanum sequi negligunt: quo enim maior est hæc eorum ingratitude, hoc maius damnum, durior emque pœnam deinde sunt relatu- i.
3. Christus voluit Apostolos tantum esse numero duodecim, vt insinuaret, quemadmodum hæc numerus compositus est ex duobus numeris, denario & binario, sic Apostolos, eorumque successores, qui sunt Ecclesiæ pastores & prælati, debere præ omnibus alijs obsequi decem mandatis suæ sanctæ legis, & duobus

bus charitatis, quæ sunt: diligere Deum super omnia, & proximum sicut seipsum.

4. Dominus idcirco tam paucos discipulos ad opem ferendam toti mundo elegit, ut indicaret, licet reuera deberent esse multi prædicatores & pastores Ecclesiæ, tamen semper fore paucos veros operarios, multos autem mercenarios. Semper enim pauci sunt, qui quarunt onus, & laborem, plurimi vero qui sectantur otium, & honores aucupantur. Pauci qui quarunt prodesse alijs, & lucrifacere animas, multi contra, qui quarunt alijs dominari, & lucris inhiant temporalibus. Quare recte dixit Christus discipulis, Dominum rogarent, ut mitteret operarios in messem suam, non quod deessent, aut inopia operariorum idoneorum laboraret, sed quod deessent boni & utiles operarij, qui semper sunt pauci.

5. Christus ut Apostolos suos extolleret super omnes veteris & noui testamenti sanctos, voluit eos in hac vita omnium hominum esse abiectissimos & contemptissimos, sicut Apostol. Paul. ad Corinth. scribens, de se alijsque Apostolis loquitur. *Puto, inquit, quod Deus I. Cor. 4. nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam mortui destinatos. nos stulti propter Christum, &c.*

Atque eandem normam Dominus cum omnibus alijs suis amicis tenuit, nempe humilians illos quos amat. Quare magnam causam timendi habent, qui semper ad altiora tendunt, & super alios honorari cupiunt, ne tandem ad infimum locum detrudantur: & qui nunc primas sedes occupare conantur, cum pudore & rubore tandem cogantur occupare extremas.

6. Non legimus Apostolos à Spiritu sancto in remotissimas regiones inter barbaras gentes amandatos secum tulisse. vllum. commeatum.

electos
ta duos
dum, &
eginus
n se ad
o quen-
em, Se-
Vnde
neum se
ad furi-
sed de-
ui vices
e, dum
animas

medio
rentur,
rent, ea
s huius
ndum.
t, qui
b com-
um se-
eorum
remgr

m esse
admo-
duobus
os, eo-
pasto-
s obse-
& duo-
bus

tum pro sua sustentatione: imò à Domino veritum illis fuit, ne secum ferrent vel pecuniã, vel peram, vel duas tunicas, vel baculum, vt ferui Dei intelligant (speciatim qui officio funguntur iuuandi alios) primo, non debere eos pro se nimium esse sollicitos in rebus ad corpus pertinentibus, sed solatium suum querere in Deo, cuius causa laborant, certo confisi, illum necessaria omnia illis promissurum, secundum illa verba ab ipso Domino ad eosdē Apostolos dicta. *Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Quarite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hac omnia adicientur vobis.* Secundò in ijs quæ ad alios pertinent, mandauit Dominus, ne gestarent baculum, vt intelligant serui eius, non seuerè & imperiosè aduersus alios agendum esse, sed magna cum benignitate & mansuetudine tractandos.

7. Dominus primum dixit ad Apostolos se non esse electum ab ipsis, ipsos autem electos à se: deinde subiunxit vt irent & reportarent fructum, fructum quæ ipsorum permanens, quicquid autem peterent Patrem in nomine suo, id cõsecuturos. Quo significabatur primo, eos quibus incumbit cura iuadaram animarum, non posse sperare aliquem suorum laborum fructum, nisi à Deo electi, & à Spiritu sancto missi fuerint, per eos qui locum Christi tenent; & quamuis existiment se facere aliquem fructum, is tamen constans & stabilis esse non potest. Deinde etiamsi electi essent à Christo, non debent tamen fructum, quem colligunt suæ attribuerè doctrinæ, sed virtuti & gratiæ Patris cœlestis, à quo, si in precibus, eius opera implorantur.

implorent, omnis eorum sufficientia proficitur, sicut dicit Apostol. *Omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Idque ut cōseruentur in humilitate, & non eueniat illis, quod idem Apostolus monet, ne dum alijs predicant, ipsi à Deo reprobentur. 2. Cor. 2
1. Cor. 9

8. Dixit Christus ad Apostolos. *Si de mundo essetis, mundus quod suū est diligeret, sed quia de mundo non estis, ego elegi vos de mundo, propterea vos odit mundus.* Ex his Saluatoris nostri verbis quilibet intelligere potest utrū Christi an vero mundi partes sequatur. Nā si, quia conatur vitam instituerē piā & sanctā, mundi legibus contrariam, affligitur, persecutiones patitur, contemnitur, omniaq; in olicissime cedunt signum est eum ex summo mundo, ac proinde electum à Christo, qui verissime dicit, illos nō esse de mundo, cum sint potius de cælo supra mundum. Contra vero si ille, quia conatur amicitiam cum mundo colere, amatur & honoratur ab omnibus, prope neque omnia illi cedunt, signum est illum diligi à mundo, ac proinde non parum dubitare debet, num stet à partibus Christi, & sit in numero à Christo electorum.

9. Consulebat Dominus Apostolis suis, ut essent in conuersatione cum hominibus simplices sicut columba, & prudentes sicut serpētes. Columba habet hanc proprietatem; caret felle & malitia, si pellitur, semper redit si pulli ei tollantur gignit alios in eodem etiam nido. Prudentia vero serpētis in ea, quod pro defensione capitis, periculo exponat totum corpus. Talis quoq; esse debet verus Christi seruus, & primò imitari simplicitatē columbæ, cogitando bene de omnibus, in bonā partem interpretari quic-

quicquid illi dictum factumve fuerit, benefacere male agentibus, nunquam cessare à beneficijs in proximos conferendis, etiam si ingrati sint, & maledictis ab eis afficiatur. Secundo, ut ubi videt periclitari honorem & gloriam Christi capitis nostri, vel animæ suæ salutem quæ est principalis hominis pars imitandam sibi sciat serpentis prudentiam, & exponendas non solum facultates, aliaque bona temporalia, verum etiam vitam, si opus sit, propriam, ad tuendam diuinum thronum & animæ salutem.



DISCVRSVS II.
DE COMMVNIBVS
SS. MARTYRVBVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- Mat. 24.* I. *Prædicat suis flagella, vincula, carceres, &c. monens ne præmeditentur, quid respõdeãt; quia hoc dabit spiritus.*
- Mar. 13.*
- Luc. 21.*
- II. *Adiicit accusandos etiam à proprijs amicis, parentibus filijs, ut morte afficiantur propter nomen eius.*
- III. *Qui perseverauerit in finem, saluus erit; adeo ut capillus non pereat. In patientia possidebunt animas.*

FIGVRÆ.

- Genes. 8.* I. **N**OË Patriarcha in renouatione mundi post generale diluuium solenne

MEDITATIONVM. 429

lenne sacrificium obtulit Deo ex omni genere animalium, quæ in terra inueniri potuerunt.

2. In dedicatione templi à Rege Salomone exstructi multa millia ouium & bouum in sacrificium occisa fuere. 3. Reg. 8.

3. IONAS in terribili quadam tempestate proiectus in mare à grandi pisce absorptus est: cumque putaretur submersus & mortuus, saluus & incolumis in littus eiectus est. Ion. 2.

PROPHETIÆ.

1. Propter te mortificamur tota die, & stima-
ti sumus sicut oues occisionis. Psal. 43.

2. Posuerunt morticina seruorum suorum, & escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terra. Psal. 73.

Effuderunt sanguinẽ eorũ tanquam aquã in circuitu Ierusalẽ, & nõ erat qui sepeliret.

3. Multa tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Psal. 33.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: unũ ex his non conteretur.

4. Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Et si coram hominibus tormenta passi sunt: spes illorum immortalitate plena est: in paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se, tan-

tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.

DOCUMENTA.

1. **C**ONSULIT Dominus, ne tempore persecutionum solliciti simus in praemeditando quid respondeamus: se suggesturum illa hora quid respondendum sit aduersariis nostris, vnde discimus idem faciendum in persecutionibus spiritualibus hostium inuisibilium, quando demon, in rebus, quas constat ad gloriam Dei, aliorumque salutem pertinere, vt deterreat & abducatur a bono proposito, obijcit ob oculos difficultates & pericula quae euenire possunt: suggerens si hoc vel illud eueniat, quid esses acturus? nec enim debemus tunc esse solliciti, vt certo statuamus, quid hoc vel illo casu dicendum agendumve sit: tunc enim Deus non concurrit sua gratia, sicut consuevit concurrere, dum casus illi re ipsa eueniunt: respondendum autem est ininimico, quod quidam seruus Dei respondit, dicens: *Quando casus ille euenierit, propè scio quid agendum sit, quid autem ego sim acturus, nescio, nec iam attinet id definire.*

2. Dixit Christus seruos suos à proprijs parentibus, cognatis & amicis tradendos in mortem & occidendos; vt intelligeremus in nostris tribulationibus persecutionibusque, non debere nos perfugium habere tantum ad parentes & amicos, in illis spem defigere, ex eorum sententia & arbitrio pendere; periculum enim est, ne illi secundum consilium carnis, & mundi nos prodant, & causam praebeant nostrae condemnationis; at debere potius confugere

fugere ad Deum nostrum, amicum fidelem, & verum patrem in eo secure confidere; ab eo omne auxilium & solatium expectare.

3. Non legimus ante Saluatoris aduentum, cum homines vitam agerent carnalem, inter cognatos, & amicos fuisse aliquam ordinariam persecutionem vt se mutuo traherent ad mortem. At postquam cœpêre amplecti fidem Christi, ac sancte viuere, mox exorta sunt cognatorum persecutiones, sic profusus, vt nec pater parceret filio, nec filius patri, nec amicus amico. Hic perpetuus fuit mundi mos; vt dum filij mundanani agunt vitam, à parentibus & amicis intinè amentur & diligantur, sed quamprimum vel minimum signum præbent saculū deserendi, & Christo adharendi, ilico tam parentes quam amici infestissimi eorum hostes fiunt, eosque plus quam alium neminem exagitant & diuexant, secundam illud Domini dictum. *Inimici hominis domestici eius.* Mat. 10

4. Christus hortaturus martyres suos ad vitam pro ipso profundendam, nec dixit, non de corpore, nec de vlla eius parte, eam non perituram. Sed tantum dixit, non periturum vllum capillum capitis, quæ res tam parua est, vt pars corporis dici non possit; vt intelligamus tantam Dei esse bonitatem & liberalitatem erga suos seruos, vt quicquid ei offeratur ad eum colendum, licet minimum, & nullius momenti, ille tamen magni faciat, copiosoque premio aliquando sit remuneraturus.

5. *In patientia vestra*, inquit Dominus, *Luc. 21.* possidebitis animas vestras: vnde discimus, iniurias nobis ab hominibus illatas non esse nobis noxias, sed potius valere ad comparandam patientiam.

patie n.


Iacob. 1. patientiam & per hanc animæ nostræ salutem, nam vt dicit S. Apostolus Iacobus, qui patienter suffert tentationes, recipiet coronam vitæ, sicut contra, qui perdit sapientiam, perdit & coronam.

6. Non dicit Dominus, seruos suos in persecutionibus & patiendo possessuros animas suas, *sed in patientia*, vt indicaret, non sufficere ad salutem si multis afflictionibus & ærumnis obnoxij simus, ac etiam patiamur pro ipso Christo, nisi hæc omnia toleremus patienter & ad finem perseueremus, neque enim pœna tolerata, sed patientia ipsa coronatur.

7. Quemadmodum veri Martyres sunt qui pro gloria Christi & proximi salute contemnunt vitam, sic quando quis vt Christiani hominis officio faciat satis, non laborat; quid homines de se loquantur vel sentiant, sed libere dicit quod putat ad gloriam Dei esse conueniens, aut non erubescit in præsentia aliorum bonum opus exercere: vel certe si religiosus est, nihili pendit, si, quia vel mortificationem aliquam facit, vel regulas suas obseruat, contemnatur, vel etiam stultus habeatur: hic inquam similitudine quadam potest etiam vocari Martyr. Nam sicut martyr anteponit Christum vitæ suæ, sic hic anteponit Christum gratiæ humanæ. Quapropter sicut martyrium est actus summa perfectionis, ac proinde summo premio dignus, si antedicti actus ob similitudinem, quam cum martyrio habent, sunt quoque magnæ perfectionis, & in calo copiose remunerabuntur.

(. .)

DISCVR.



DISCVRSVS III.
DE COMMUNI
SS. CONFESSORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. Vos estis sal terra; lux mundi; ciuitas supra montem posita. Sic luceat lux vestra coram hominibus. &c. Matt. 5.
Luc. 12.
- II. Sint lumbi vestri praecincti & lucerne ardentes in manibus vestris, &c. Expectantes Dominum quando reuertatur. Beati &c.
- III. Quis fidelis dispensator, vt det familia, &c? Beatus quem Dominus inuenit facientem, &c. Super omnia bona constituet eum.

F I G V R A.

Veteris Legis Sacerdos, inter alia vestimenta, secundum ordinem à Deo praescriptum, habebat vestem hyacinthinam, in cuius extremis partibus pendebant, quasi mala punica coloris varij, mistis in medio aureis tintinnabulis. Exod. 28

T P R O -

CVR.

 PROPHECIAE.

*Jerem. 3. 1. D*abo vobis pastores iuxta cor meum,
 & pascunt vos scientia & doctrina.

Dan. 22. 2. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splen-
dor firmamenti, & qui ad iustitiam eru-
diunt multos, quasi stella in perpetuas a ter-
nitates.

Eccl. 44. 3. Hi sunt viri misericordiae, quorum
pietates non defuerunt, cum semine eorum
permanent bona, hereditas sancta nepotes
eorum, corpora ipsorum sepulta sunt, & no-
men eorum viuet in generatione & genera-
tionem.

 DOCUMENTA.

I. PRÆLATI & Doctores vocantur sal
 terræ ob vitæ eorum perfectionem, &
 sanctitatis exemplum, quibus condire
 debent mentes hominum adhuc terrena sa-
 pientium. Nimirum sicut sal tres habet proprie-
 tates. Prima, quod terram in qua spargitur, red-
 dat sterilem. Altera, quod condiat & sapos
 efficiat cibos. Tertia, quod exsiccat carnes & à
 putredine conferuet: Sic Prælati sanctitatis
 exemplo, & doctrinæ præstantia in subditis
 cupiditates terrenas refrenant, eosque red-
 dunt steriles mundo. Secundo desideria sancta
 sapore deuotionis condiunt & promouent.
 Tertio exsiccant carnes, hoc est, homines car-
 nales, præseruando eos à libidinis putredine.
 Denique sicut per salem designatur virtus dis-
 cretionis, sic omnia opera quæ exercentur er-
 ga sub-

MEDITATIONVM. 435

ga subditos hac virtute condienda sunt, red-
dendo illa hoc modo coram hominibus atque
etiam in presentia Dei sapidiora.

2. Christus primò dixit Apostolis, eos esse
salem terræ, postea autem dixit esse lucem mun-
di, qua re indicatur Prælatos Doctoresque Ec-
clesiæ primò debere esse salem quoad, vi-
uendo benè & sapienter, deinde præbere lu-
cem prædicando, & docendo alios, salem ex-
emplo, lucem doctrina, secundum exemplum
Christi Saluatoris, de quo scriptum est, *Cœpit Act. 1.*
Jesus facere & docere.

3. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, Matt. 5.*
inquit, Christus, *ut videant opera vestra*
bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in
cælis est, volens his verbis commonere suæ
Ecclesiæ Prælatos & Doctores, debere eos lu-
men præbere alijs non solum doctrina piæque
instituzione, sed etiam operibus, idque præci-
puè, neque enim dixit, *ut homines videant*
doctrinam vestram, sed videant opera ve-
stra bona, & glorificent Patrem cœlestem. Vbi
similiter animaduertant Prælati, non debere
eos ex suis bonis operibus propriam aucupa-
ri laudem & gloriam, sed tantum Dei, non
enim dicit, *ut videntes homines opera vestra*
bona glorificent & collaudent vos, sed dicit,
ut glorificent Patrem cœlestem, à quo omne
bonum promanat.

4. Dixit Christus debere nos præcingere
lumbos nostros. Duo genera lumborum in-
veniuntur in nobis. Alij sunt mentis, id est,
voluntatis nostræ à qua oriuntur omnes
affectus inordinati, & intellectus nostri, à
quo procedunt prauæ cogitationes & mala
deside-

delideria. Alij deinde sunt lumbi carnis, à quibus proniscuntur cupiditates carnales, & impudica opera. Vtroque debemus præcingere, cohibereque ne erumpant in cogitationes & actiones illicitas: idque duobus cingulis præstandum est: Primum est studium orationis, & assidua in lege Dei meditatio, quibus prava cogitationes, & desideria mentis nostræ facile coercentur. Alterum cingulum est vita seueritas, & corporis afflictio, quibus libidines & incentiua carnis opprimuntur & extinguuntur.

5. Multis modis solet Dominus, (vti ille, qui consuetudine nostra delectatur) pullare ad ostium cordis nostri, vt si vno non aperiatur, aperiatur alio, eumque intro recipiamus. Primo pullat verbis concionatorum, aliorumque, qui cohortantur, & excitant nos ad bonum. Secundo, pullat bonis hominum piorum exemplis. Tertio beneficijs suis, quibus nos continenter afficit. Quarto humilibus flagellis & infecto terrore aëtheriorum tormentorum. Quinto promissione maximorum præmiorum. Contra nonnulli nulla ratione induci possunt, vt Domino respõdeant, sic enim obdurati sunt vt nec concionibus, nec beneficijs, nec timore vllò cor illorum emolliri queat. Alij humiliter respõdent, sed patiuntur eum vacuum discedere, atque hi sunt, qui similiter quidem agnoscunt & fatentur se peccatores, sed nondum habent firmum propositum peccata deserendi. Alij aperiunt quidem, sed non detinent tam diu secum, & hi sunt, qui ex vna parte se emendant, sed non plene satisfaciunt, nihil quidem alienum rapiunt, sed quod iam rapuere non restituant. Alij tametsi aperiunt eumque recipiant,

piant, nouis tamen hospitibus interuenientibus, pauperē Iesum foras eijciunt. Et hi sunt, de quibus Dominus dixit. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt,* dolent de peccatis & vitam corrigunt, sed quam primum è mūdo vel carne tentatio aliqua in eos irruerit, mox relabuntur. Alij denique non solum confestim illi aperiunt, sed benignè quoque suscipiunt gratamque habitationem in cordibus suis ei praparant: de quibus ipse Dominus dixit, se ad eos ingressurum, cœnaturumque cum illis, & illos secum, quando per aduentum tanti hospitis omnibus bonis & charismatis cœlestibus sunt locupletati.

Luc. 2.

Apoc. 3.

6. Dixit præterea Dominus, vt vigilarent, vt quam primum pulsarit, ostium sibi illud patefaciant. Tunc Dominus pulsat animæ nostræ ostium, quando bonam aliquam inspirationem, piūque desiderium nobis immittit, & tunc illi aperimus, quando illi consentimus, probamus, & opere præstamus.

7. Consulit Dominus nobis, vt vigilemus & ad suum aduentum parati simus. Tunc autem vigilanter expectamus aduentum Domini, quando mentis nostræ oculos apertos tenemus ad contemplandum verum lumen, hoc est, cum frequenter cogitamus de Deo, eumque continuè præsentem in omnibus actionibus nostris imaginamur. Tunc quoque vigilamus, quando quæ credimus factis implemus. Vigilamus etiam, quando temporis & ignauitæ tenebras depellimus; & cum diligentia ac seruore Christo Domino nostro inseruimus. Tunc denique vigilamus, cum oculis semper obiectam habemus mortis nostræ, & aduentus Domini memoriam, id semper

studentes, ne quid in pectoris nostri domo superfit, quod tanti hospitis oculos offendere possit.

8. Dixit Dominus seruos suos beatos fore, si eos vigilantes in prima vel secunda vigilia inuenerit. Vigilia hæ sunt diuersæ ætates vitæ nostræ. Prima vigilia est pueritia. Secunda est adulescentia, & iuuentus. Tertia est senectus. Qui igitur negligentes fuere, vel vigilare noluerunt in prima, aduigilent saltem in secunda, qui verò etiam secundam neglexerint, sua incuria ne extremum tertiæ vigiliæ repudient remedium, vt saltem in senectute somnum excutiant, nec tantam Dei longanimitatem & patientiam contemnant: valde enim verendum est, ne, dum expectant misericordiam prorogando poenitentiam in iudicium incidant: atque tunc eo maior erit contra illos diuina iustitia senectus, quanto diuturnior fuerit Dei in expectanda illorum emendatione longanimitas. O quot hodie in mundo florem iuuentutis vanissime consumunt, ac demum vix senectutis feces poenitentia agenda tribuunt!

9. Per hunc seruum fidelem, quem Dominus dicit se constitutum super familiam suam, intelligitur quilibet Christianus. Nam quilibet vocari potest dispensator Domini, ac primo quidem in rebus spiritualibus, quod proprie pertinet ad Prælatos. Secundo in temporalibus quoad Principes & Iudices seculares. Tertio in bono vsu gratiæ, & donorum cuique à Domino concessorum, qui consistit in gubernatione sui ipsius, & institutione vitæ piæ, quod pertinet ad omnes. Tunc igitur Prælati, vel Princeps Christianus boni serui officio fungitur, quando donis à Deo acceptis, vt
scia-

scientia, vel potestate & auctoritate, vel opibus, vel alijs bonis vtitur, non in detrimentum subditorum, aut condemnationem propriam, sed in salutem suam commodumque commune aliorum. Nam sicut nemo sibi soli natus est, sed etiam vtilitati proximorum, secundum illud. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo*, ita quilibet existimare debet facultates, quas possidet non sibi soli, sed etiam in beneficium aliorum datas esse.

ro. Duas in suis seruis Dominus requirit condiciones: alteram, vt sint fideles: alteram, vt prudentes. Tunc autem seruis Dei fidelis est, quando dona à Deo concessa non sibi adscribit, gloriando in illis, & vanam aucupando hominum laudem ex illis, sed potius attribuit soli Deo, eique gratias agit, & in eum omnem eorum gloriam transfert. Tunc vero est prudens, quando talentum ab eo acceptam neque recondit otiose, nec vane consumit, sed vtiliter, diuinaque voluntati conuenienter in salutarem usum expendit, tanquam de eo aliquando rationem Deo redditurus.



DISCVRSVS IV.
DE COMMVNI VIRGINVM VTRIVSQUE SEXVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Omnes decem virgines ornauerunt lampades, vt irent obuiam spon-* Mat. 25

so; sed quinque fatua non sumpserunt oleum.

II. Ob moram, omnes dormitauerunt; donec media nocte venit sponsus, & prudentes, quæ paratæ erant, admissæ sunt.

III. Fatua veniētes inuenerunt ianuam clausam sponso dicente: Amen dico vobis; nescio vos. Vigilate.

FIGVRA.

Leui. 21. **D**EVS in veteri lege mandauit, vt summus Pontifex, qui representabat personam Christi, in sponsam acciperet foeminam virginem.

PROPHETIÆ.

Isai. 56. 1. **H**ÆC dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint qua ego volui, & tenuerint foedus meū, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

Psal. 44. 2. Adducentur regi virgines post eam, proxima eius afferentur tibi.

Sapi 3. 3. Fœlix est sterilis & incoinquina: a. que nesciuit thorum in dilecto, habebit: fructum in refectione animarum sanctarum & spado, qui non operatus est per manus suas iniquita.

quitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum & fors in templo Dei acceptissima.

4. O quam pulchra est casta generatio cum Sap. 4. claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines, & in perpetuum coronata triumphat, inquinatorum certaminum primum vincens.

DOCUMENTA.

1. **A**IT Euangelium, Tunc, id est, in die iudicij regnum colorum simile futurum, decem virginibus, quinque prudentibus, & quinque fatuis. Vnde discimus, hoc praesenti tempore, quod est ante diem iudicij, non posse certo cognosci, quae virgines sint prudentes, & quae fatuae. Multi enim extrinsecus videntur prudentes & intrinsecus sunt fatui, sicut contra multi exterius putantur fatui, sed interius sunt prudentissimi, de quibus scriptum est: *Nos insensati vitam Sap. 3. illorum existimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei?* Quare non debemus ante illius diei aduentum alios iudicare, sed nobis ipsis attendere, & nos ipsos iudicare, ne postea iudicemur à Deo conuenienter consilio Apostoli. *Nolite ante I. Cor. 4. tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.*

2. Omnes haec virgines lampades quidem habere,

buere, sed non omnes habuere oleum. Quo significatur saepe numero contingere, ut aequè improborum, ac proborum hominum opera videantur bona, & laudabilia extrinsecus, sed tamen vere intrinsecus quaedam careant oleo, nempe interna gratiae & charitatis, quae est in cordibus nostris, tanquam in vasis. Itaque boni, qui similes sunt virginibus prudentibus, praeter bonorum operum lampades habent oleum gratiae in conscientijs

1. Cor. I. suis secundum illud Apostoli. *Gloria nostra haec est testimonium conscientia no-*

Psal. 44 *stra.* Et illud Prophetæ. *Omnis gloria eius filia regis ab intus.* Gloriam vocant gratiam, quia gratia est semen gloriae. Contra improbi & pseudochristiani, similes virginibus fatuis, non habent hanc gloriam in conscientia, sed tantum foris in ore hominum. Quare & opera eorum apud Deum omni remuneratione carebant, quoniam mercedem suam tantum quaesuerunt & acceperunt in hoc mundo.

3. Hæ decem Virgines, de quibus locutus est Christus, tantum erant Virgines, omnes in manibus habebant lampades, omnes similiter obuiam ibant sponso: nec tamen omnes ad salutem peruenierunt, quia quinque à coelestibus nuptijs sunt exclusæ. Vnde intelligimus, non satis esse ad salutem, abstinere à peccatis, & bonis operibus vacare, sed verenda opera nostra, & vigilandum, discutiendamque diligenter intentionem, ne forte respectu commodi vel voluptatis propriae facta sint, & quod foris in oculis hominum videtur laudabile, in oculis Dei sit reprehensibile & mercede indignum, similesque tandem efficiamur fatuarum virginum,

ginum, quæ, quia vanè se de virginitatis virtute iactarant, oleumque humilitatis ex vasis cordium suorum temerè excluderant, meritò à Christo repulsam passæ sunt.

4. Virgines fatuæ, oleo destituta dixerunt lampades suas extinguui. Vnde docemur, quod sit discriminè inter opera, quæ speciem quidem bonitatis præ se ferunt, re ipsa tamen bona non sunt, & ea, quæ verè bona sunt & perfecta. Nam licet reproborum opera ad breve tempus videantur lucem quandam & splendorem emittere, nihilominus tamen postea vnà cum ipsis extinguuntur, eò quod post hanc vitam lumen nullum præbeant. Verum opera electorum, lampadesque prudentium, quia pietatis misericordiarumque oleo fuentur & aluntur, post hanc vitam, quando ex his tenebris ad æternam lucem transferuntur longè clarius relucebunt.

5. Hæ Virgines cum lampadibus ornatis obuiam processerunt sponso. Vnde discimus, virginem Christi, si sponso velit placere, & ab eo ad nuptias eius introduci, debere esse similem lampadi benè concinnatæ. Nam sicut ad cōcinnandam ornandamque lampadem requiruntur quatuor. Primo vitri claritas & nitor. Secundo copia olei. Tertio flammæ ardor. Quarto splendor: sic virgo crySTALLINÆ lampadis instar operam dare debet. Primum, vt sit admodum pura & munda mente & corpore, Secundo vt ardeat puri amoris in Deum flamma, & omnem sensualem & terrenum amorem excludat. Tertio, vt animæ suæ vas plenum habeat oleo deuotionis, orandi que studio impensè sit addicta: nam vt oleum efficit ardorem

in lampade, sic oratio deuota diuini amoris flammam fouet & conseruat, iuxta *Psal. 38.* illud Prophetae. *In meditatione mea exardescet ignis.* Postremo debet resplendere alijs operum piorum exemplo, & exercere se maxime in humilitate, charitate, obedientia, contemptu sui, & omni honestate.

5. Sponso ad caelestes nuptias ingresso, clausa est ianua. Tres sunt ianuae, quas Dominus in hoc mundo apertas tenet hominibus, ut ingredi caelum possint, quae post iudicij diem omnino claudentur, ut nulli amplius in eas pateat ingressus. Prima est misericordiae & veniae, quae nunc omnibus patet. Altera est gratiae ad merendum, quae in hac vita omnibus offertur. Tertia est gloriae ad ingrediendum regnum, quae nunc omnibus poenitentibus aperitur. Itaque illis clausa erit ianua veniae & meriti, qui in hac vita iacturam fecerunt temporis, quod eis concessum erat ad obtinendam veniam, occasionesque merendi vitam aeternam neglexerunt.

7. Quoniam Christus Dominus noster tanti fecit hanc virginitatis virtutem, ut liquet, non modo ex consilio de ea dato, & exemplo suo, suaeque purissimae Matris, aliisque multis argumentis, verum etiam ex eo, quod in caelo, uti reuelatum est sancto Ioanni Evangelista, hic agnus immaculatus speciatim voluerit versari in comitatu Virginum: hinc facile intelligere possumus, quantum cuique nostrum studium impendendum sit, ut virtutem tam nobilem consequamur, vel certe quoad fieri possit, proximè ad eam accedamus. Quocirca & illi, qui hoc donum a Deo obtinere, omne studio enitantur illud

tanquam pretiosissimam margaritam conser-
 uare. Qui vero hoc flore carent, & conjugii
 vinculo soluti sunt, cogitent consultius sibi
 fore, si deinceps in castitate vivant, vt saluti
 sua studiosius vacare queant, quam vt graui
 matrimonij iugo se subiciant. Qui denique
 iam ligati sunt, conuentur minimum prater
 castitatem, & honestatem sui status obseruare
 consilium Apostoli, vt nonnunquam se conti-
 neant ex consensu ad aliquod tempus, vt eo re-
 ctius spiritui & orationi vacare possint. Ex a-
 lia parte, si animæ puræ & castæ in altera vita
 à Christo ad tantum euehantur honorem, &
 gloriam, eique tam singulari amore sunt vni-
 ta, cogita quam execrabiles & abominandæ
 fuerunt in Angelorum, omniumque bea-
 torum presentia infelices illæ animæ, qua vi-
 rijs carnis fuerint inuolutæ & fœdata, quan-
 taque indignatione, & ignominia sint à con-
 spectu Dei remouendæ, & in profundissimum
 sauiissimumque gehennæ infernalis in-
 cendium in æternum abii-
 ciendæ & detur-
 bandæ.

1. Cor. 7.

FILII S.

T 7 QVIN-

me-
 uxta
 mea
 den-
 ex-
 tate,
 one-
 clau-
 inus
 t in-
 m o-
 s pa-
 t ve-
 ratia
 s of-
 n re-
 ape-
 ia &
 tem-
 dam
 eter-
 tan-
 quet,
 mplo
 mul-
 od in
 uan-
 n vo-
 hinc
 ique
 irtu-
 certè
 acce-
 um à
 illud
 tan-